

## CAPUT VI.

De opinione Arii circa filium Dei.

CUM autem doctrinæ sacræ non congruat quod filius Dei à Maria initium sumpserit, ut Photinus dicebat; neque ut is qui ab æterno Deus fuit, & pater est, per carnis assumptionem filium esse ceperit, ut Sabellius dixerat: fuerunt alii hanc de divina generatione quam Scriptura tradit, opinionem sumentes; quod filius Dei ante incarnationis mysterium existeret, & etiam ante mundi conditionem. Et quia iste filius à Deo patre est alius, æsumaverunt eum non esse ejusdem naturæ cum Deo patre: non enim intelligere poterant, nec credere volebant, quod aliqui duo secundum personam distincti habeant unam essentiam, & naturam. Et quia sola natura Dei patris secundum fidei doctrinam æterna creditur, crediderunt naturam filii non ab æterno extitisse, licet fuerit filius ante alias creaturas. Et quia omne quod non est æternum, ex nihilo factum est, & à Deo creatum, filium Dei ex nihilo factum esse, & creaturam prædicabant.

Sed quia auctoritate Scripturæ cogebantur ut etiam filium Deum nominarent, sicut in superioribus est expressum; dicebant, eum unum cum Deo patre, non quidem per naturam, sed per quamdam consensus unionem, & per divinæ similitudinis participationem super cæteras creaturas. Unde cum supremæ creaturæ, quas Angelos dicimus, in Scripturis & dii, & filii Dei nominentur, secundum illud Job xxxvi. 11. 4. *Ubi eras... cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* & in Psalm. lxxxi. 1. *Deus stetit in synagoga dæorum: hunc Dei filium, & Deum præ aliis dici oportebat, utpote nobiliorem inter cæteras creaturas; intantum quod per eum Deus pater omnem aliam condiderit creaturam.*

1. Hanc autem positionem confirmare nitentur sacræ Scripturæ documentis. Dicit enim filius, Joan. xvii. 3. ad patrem loquens: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum. Solus ergo pater Deus verus est. Cum ergo filius non sit pater, filius Deus verus esse non potest.*

2. Item. Apostolus dicit I. ad Timoth. ult. 14. *Serves mandatum sine macula irreprensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi: quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* In quibus verbis ostenditur distinctio Dei patris ostendentis ad Christum ostensum. Solus ergo Deus pater ostendens est potens Rex regum, & Dominus dominantium, & solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. Solus ergo pater Deus verus est: non ergo filius.

3. Præterea. Dominus dicit Joan. xiv. 28. *Pater major me est:* & Apostolus dicit filium patri esse subjectum I. ad Corinth. xv. 28. *Cum omnia subjecta illi fuerint, tunc ipse filius subjectus (1) est illi, scilicet patri, qui sibi subjecti omnia.* Si autem esset una natura patris, & filii, esset etiam una magnitudo, & una majestas: non enim filius esset minor patre, nec patri subjectus. Relinquitur ergo ex Scripturis quod filius non sit ejusdem naturæ cum patre, ut credebant.

4. Adhuc. Natura patris non patitur indigentiam;

(1) Vulgata erit ei. (2) Vulgata: ubi venit.

in filio autem indigentia invenitur: ostenditur enim ex Scripturis quod à patre recipit; recipere autem indigentis est: dicitur enim Matth. xi. 27. *Omnia tradita sunt mihi à patre meo:* & Joann. i. 35. *pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus.* Videtur igitur filius non esse ejusdem naturæ cum patre.

5. Amplius. Doceri, & adjuvari, indigentis est. Filius autem à patre docetur, & juvatur: dicitur enim Joan. v. 19. *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem:* & ita pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & Joannis xv. 15. *filius dicit discipulis: Omnia quæcumque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Non igitur videtur esse ejusdem naturæ filius cum patre.

6. Præterea. Præceptum recipere, obedire, orare, & mitti, inferioris esse videtur. Hæc autem de filio leguntur: dicit enim filius, Joan. xiv. 31. *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio:* & Philip. ii. 8. *Factus est obediens patri usque ad mortem:* & Joan. xiv. 16. *Ego rogabo patrem: & alium paraclitum dabit vobis:* & Galat. iv. 4. dicit Apostolus: (2) *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Est ergo filius minor patre, & ei subjectus.

7. Item. Filius clarificatur à patre, sicut ipse dicit Joan. xii. 28. *Pater clarifica nomen tuum:* & sequitur: *Veni vox de celo: Et clarificari, & iterum clarificari.* Apostolus etiam dicit ad Roman. viii. 11. *quod Deus suscitavit Jesum Christum à mortuis:* & Petrus dicit Act. ii. 33. *quod est dextera Dei exaltatus.* Ex quibus videtur quod sit patre inferior.

8. Præterea. In natura patris nullus defectus esse potest: in filio autem invenitur defectus potestatis: dicit enim Matth. xx. 23. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo:* defectus etiam scientiæ: dicit enim ipse Matth. xxiv. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in celo, neque filius, nisi pater.* Invenitur etiam in eo defectus quietæ affectionis; cum in eo Scriptura asserat tristitiam fuisse, & iram, & aliæ hujusmodi passiones. Non igitur videtur filius esse ejusdem naturæ cum patre.

9. Adhuc. Expresse in Scripturis invenitur quod filius Dei sit creatura: dicitur enim Eccli. xxiv. 12. *Dixit mihi creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo:* & iterum: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Est igitur filius creatura.

10. Præterea. Filius creatoris connumeratur: dicitur enim Eccli. xxiv. 5. ex persona Sapientiæ: *Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam:* & Apostolus ad Coloss. i. 15. dicit de filio quod est *primogenitus creaturæ.* Videtur ergo quod filius ordinem cum creatoris habeat quasi primum inter eas obtinens gradum.

11. Amplius. Filius dicit Joan. xvii. 22. pro discipulis ad patrem orans: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Sicut igitur pater, & filius unum sunt, sic discipulos unum esse volebat. Non autem volebat discipulos esse per essentiam unum. Non ergo pater, & filius sunt per essentiam unum; & sic sequitur quod sit creatura, & patri subjectus.

Est autem hæc positio Arii, & Eunomii: & videtur à Platoniorum dictis exorta, qui ponebant summum Deum patrem, & creatorem omnium rerum: à quo primitus effluxisse dicebant quamdam mentem, in qua essent omnium rerum formæ, superiorem omnibus aliis rebus, quam paternum intellectum

ne-

nomabant; & post hanc animam mundi, & deinde alias creaturas. Quod ergo in Scripturis sacræ de Dei filio dicitur, hoc de mente prædicta intelligebant: & præcipue quia sacra Scriptura Dei filium, Dei sapientiam nominat, & verbum Dei. Cui etiam opinioni consonat positio Avicennæ, qui supra animam primi cœli ponit intelligentiam primam moventem primum cælum: supra quam ulterius Deum in summo ponebat. Sic igitur Ariani de Dei filio suspicati sunt quod esset quædam creatura supereminens omnibus aliis creaturis, qua mediante Deus omnia creasset; præcipue etiam cum quidam Philosophi posuerint quodam ordine res à primo principio processisse, ita quod per primum creatum omnia alia sint creata.

## CAPUT VII.

Improbatio positionis Arii.

Hanc autem positionem divinæ Scripturæ repugnare, manifeste potest percipere, si quis sacram Scripturarum dicta diligenter considerat.

1. Cum enim Scriptura divina & Christum Dei filium, & Angelos Dei filios nominet, alia tamen & alia ratione. Unde Apostolus Hebr. i. 5. dicit: *Cui dicit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* quod ad Christum asserit esse dictum. Secundum autem positionem prædictam eadem ratione Angeli filii Dei dicerentur, & Christus: utrisque enim unum nomen filiationis competeret secundum quamdam sublimitatem naturæ, in qua creati sunt à Deo. Nec obstat, si Christus sit excellentioris naturæ præ aliis Angelis: quia etiam inter Angelos ordines diversi inveniuntur, ut ex superioribus patet cap. lxxix. Lib. III. & tamen omnibus eadem filiationis ratio competit. Non igitur Christus filius Dei dicitur secundum quod asserit prædicta positio.

2. Item. Cum ratione creationis nomen filiationis divinæ multis conveniat, quia omnibus Angelis, & Sanctis; si etiam eadem ratione Christus filius diceretur, non esset unigenitus, licet per excellentiam suæ naturæ inter cæteros primogenitus posset dici. Asserit autem eum Scriptura esse unigenitum, Joan. i. 14. *Vidimus eum quasi unigenitum à patre.* Non igitur ratione creationis Dei filius dicitur.

3. Amplius. Nomen filiationis propriæ & vere generationem viventium consequitur, in quibus genitum ex substantia generantis procedit: alias enim nomen filiationis non secundum veritatem, sed potius secundum similitudinem accipitur, cum filios dicimus aut discipulos, aut hos quorum gerimus curam. Si igitur Christus non diceretur filius nisi ratione creationis; cum id quod creatur à Deo, non ex substantia Dei derivetur, Christus vere filius dici non posset. Dicitur autem verus filius, I. Joan. ult. 20. *Ut simus,* inquit, *in vero filio ejus Jesu Christo.* Non igitur Dei filius dicitur quasi à Deo creatus in quantacumque naturæ excellentia, sed quasi ex Dei substantia genitus.

4. Præterea. Si Christus ratione creationis filius dicitur, non erit verus Deus: nihil enim creatum Deus potest dici nisi per quamdam similitudinem ad Deum. Ipse autem Jesus Christus est verus Deus: cum enim Joan. loc. cit. dixisset: *Ut simus in vero filio ejus,* subdidit: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Non igitur Christus filius Dei dicitur ratione creationis.

(1) An generantis? (2) Vulgata: Quia in ipso inhabitat &c.

5. Amplius. Apostolus Rom. ix. 5. dicit: *Et quibus Christus est secundum carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in sæcula; amen: & ad Titum, ii. 13. Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi: & Hier. xxii. 5. dicitur: Suscito David germen justum: & postea subditur: Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster: ubi in Hebræo habetur nomen tetragrammaton, quod de solo Deo certum est dici. Ex quibus apparet quod filius Dei est verus Deus.*

6. Præterea. Si Christus verus est filius, de necessitate sequitur quod sit verus Deus: non enim vere filius potest dici quod ab alio gignitur, etiam si de substantia (1) generationis nascatur, nisi in similem speciem generantis procedat: oportet enim quod filius hominis homo sit. Si igitur Christus est verus filius Dei, oportet quod sit verus Deus: non est igitur aliquid creatum.

7. Item. Nulla creatura recipit totam plenitudinem divinæ bonitatis; quia sicut ex superioribus patet, perfectiones à Deo in creaturas per modum cujusdam descensus procedunt. Christus autem habet in se totam plenitudinem divinæ bonitatis: dicit enim Apostolus ad Coloss. ii. (2) *In ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis.* Christus ergo non est creatura.

8. Adhuc. Licet intellectus Angeli perfectiorem cognitionem habeat quam intellectus hominis, tamen multum deficit ab intellectu divino. Intellectus autem Christi non deficit in cognitione ab intellectu divino: dicit enim Apostolus ad Coloss. ii. 3. quod in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Non est igitur Christus filius Dei creatura.

9. Amplius. Quicquid Deus habet in se ipso, est ejus essentia, ut in primo Lib. cap. xxi. & xxi. ostensum est. Omnia autem quæ habet pater, sunt filii; dicit enim ipse filius, Joan. xvi. 15. *omnia quæ habet pater, mea sunt:* & Joan. xvii. 10. ad patrem loquens ait: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Est ergo eadem essentia, & natura patris, & filii: non est igitur filius creatura.

10. Præterea. Apostolus dicit Philip. ii. quod filius antequam exinaniret semetipsum formam servi accipiens, in forma Dei erat. Per formam autem Dei non aliud intelligitur quam natura divina, sicut per formam servi non intelligitur aliud quam humana natura. Est ergo filius in natura divina: non est igitur creatura.

11. Item. Nihil creatum potest esse Deo æquale. Filius autem est patri æqualis: dicitur enim Joannis v. 18. *Querebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, & æqualem se Deo faciens.* Hæc est ergo Evangelistæ narratio, cujus testimonium verum est, quod Christus filium Dei se dicebat, & Deo æqualem, & propterea eum Judæi persequebantur. Nec dubium est alicui Christiano quin & illud quod Christus de se dixit, verum sit, cum & Apostolus dicat Philip. ii. hoc non fuisse rapinam, quod æqualem se esse patri arbitratus est. Est ergo filius æqualis patri: non est igitur creatura.

12. Amplius. In Psal. lxxvii. 7. legitur non esse similitudinem alicujus ad Deum, etiam inter Angelos, qui filii Dei dicuntur: *Quis, inquit, similis erit Deo in filiis Dei:* & alibi Psal. lxxxii. 1. *Deus, quis similis erit tibi?* quod de perfecta similitudine accipi-

No

opor-

oportet, quod patet ex his quæ in I. Lib. tractata sunt. Christus autem perfectam sui similitudinem ad patrem ostendit etiam in vivendo: dicitur enim Joan. v. 26. *Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Non est igitur Christus computandus inter filios Dei creatos.

13. Adhuc. Nulla substantia creata representat Deum quantum ad ejus substantiam: quicquid enim ex perfectione cujuscumque creaturæ apparet, minus est quam quod Deus est: unde per nullam creaturam sciri potest de Deo quid est. Filius autem representat patrem: dicit enim de eo Apostolus ad Coloss. 1. 15. quod est *imago invisibilis Dei*: & ne æstimeretur esse imago deficiens, essentiam Dei non representans, per quam non possit cognosci de Deo quid est, sicut vir dicitur imago Dei I. Cor. xi. ostenditur perfecta esse imago, ipsam Dei substantiam representans, ad Heb. 1. 3. dicente Apostolo: *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Non est igitur filius Dei creatus.

14. Præterea. Nihil quod est in aliquo genere, est universalis causa eorum quæ sunt in genere illo; sicut universalis causa hominum non est aliquis homo, nihil enim sui ipsius est causa; sed Sol, qui est extra genus humanum, est universalis causa generationis humanæ, & ulterius Deus. Filius autem est universalis causa creaturarum: dicitur enim Joan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*: & Proverb. viii. 30. dicit Sapia genita: *Cum eo eram componens omnia*: & Apostolus dicit ad Coloss. 1. 16. *In ipso condita sunt universa in caelo, & in terra.* Ipse igitur non est de genere creaturarum.

15. Item. Ex ostensis in secundo Libro manifestum est quod substantiæ incorporeæ, quas Angelos dicimus, non possunt aliter fieri quam per creationem: & etiam ostensum est quod nulla substantia potest creare, sed solus Deus. Sed Dei filius Jesus Christus est causa Angelorum, eos in esse produciens: dicit enim Apostolus Coloss. 1. 16. *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, & in ipso, creata sunt.* Ipse igitur filius non est creatus.

16. Præterea. Cum propria actio cujuslibet rei sequatur naturam ipsius, nulli competit propria actio alicujus rei cui non competit illius rei natura: quod enim non habet humanam speciem, nec actionem humanam habere potest. Propriæ autem actiones Dei conveniant filio, sicut creare, ut jam ostensum est, continere, & conservare omnia in esse, & peccata purgare, quod est proprium ipsius Dei, ut ex superioribus patet. Dicitur autem de filio ad Coloss. 1. 16. quod *omnia in ipso (1) constant*, & ad Hebr. 1. 3. dicitur, quod *portat omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens.* Filius igitur Dei est naturæ divinæ, & non est creatus.

Sed quia posset Arius dicere, quod hoc filius facit non in quantum principale agens, sed sicut instrumentum principalis agentis, quod per propriam virtutem non agit, sed solum per virtutem principalis agentis; hanc positionem Dominus excludit, Joan. v. 19. dicens *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Sicut igitur pater per se operatur, & propria virtute, ita & filius.

Uterius etiam ex hoc verbo concluditur, quod sit eadem virtus, & potestas filii, & patris: non solum enim dicit, quod filius similiter operatur sicut & pater, sed quod eadem, & similiter. Idem autem

(1) Vulgata: condita sunt.

non potest esse operatum eodem modo à duobus agentibus nisi dissimiliter, sicut idem fit à principali agente, & instrumento; vel similiter; & tunc oportet quod conveniant in una virtute, quæ quidem virtus quandoque congregatur ex diversis virtutibus in diversis agentibus inventis, sicut pater in multis trahentibus navem, omnes enim similiter trahunt; & quia virtus cujuslibet imperfecta est, & insufficientis ad istum effectum, ex diversis virtutibus congregatur una virtus omnium, quæ sufficit ad trahendum navem. Hoc autem non potest dici in patre, & filio: virtus enim Dei patris non est imperfecta, sed infinita, ut in primo Lib. cap. xliiii. ostensum est. Oportet igitur quod eadem numero sit virtus patris, & filii. Et cum virtus sequatur naturam rei, oportet quod eadem numero sit natura, & essentia patris, & filii: quod etiam ex præcedentibus concludi potest: nam si in filio est natura divina, ut multipliciter ostensum est; cum natura divina multiplicari non possit, ut in primo Libro cap. xlii. ostensum est: sequitur de necessitate quod sit eadem numero natura, & essentia in patre, & filio.

17. Item. Ultima nostra beatitudo in solo Deo est, in quo etiam solo spes hominis debet poni, & cui soli est honor latriæ exhibendus, ut in tertio Libro cap. cxx. est ostensum. Beatitudo autem nostra in Dei filio est: dicit enim Joan. xvii. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, scilicet patrem, & quem misisti Jesum Christum*: & I. Joan. ult. 20. dicitur de filio, quod est *verus Deus, & vita æterna.* Certum est autem nomine vitæ æternæ in Scripturis sacris ultimam beatitudinem significari: dicit enim Isaias de filio, ut Apostolus inducit Rom. xv. 12. *Erit radix Jesse, & qui exurget regere gentes: in eo gentes sperabunt*: dicitur etiam in Psalm. lxxxi. 11. *Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes servient ei*: & Joan. v. 23. dicitur: *Omnes honorificent filium sicut honorificant patrem*: & iterum in Psalm. xcvi. 8. dicitur: *Adorate eum omnes Angeli ejus*: quod de filio Apostolus introducit Hebr. 1. Manifestum est igitur filium Dei verum Deum esse.

Ad hoc etiam ostendendum valent ea quæ superius contra Photinum inducta sunt, ad ostendendum Christum Deum esse non factum, sed verum.

Ex præmissis igitur, & consimilibus sacræ Scripturæ documentis Ecclesia catholica edocta, Christum verum, & naturalem Dei filium, confitetur cœternum patri, & æqualem, & verum Deum ejusdem essentia & naturæ cum patre, genitum, non creatum, nec factum. Unde patet quod sola Ecclesiæ catholice fides vere confitetur generationem in Deo, dum ipsam generationem filii ad hoc refert quod filius accepit divinam naturam à patre. Alii vero hæretici ad aliquam extraneam naturam hanc generationem referunt; Photinus quidem, & Sabellius ad humanam; Arius autem non ad humanam, sed ad quamdam naturam creatam digniorem ceteris creaturis. Differt etiam Arius à Sabellio, & Photino, quod hujusmodi generationem prædictam asserit ante mundum fuisse; illi vero eam fuisse negant ante nativitatem ex Virgine. Sabellius tamen à Photino differt: in hoc quod Sabellius Christum verum Deum confitetur, & naturalem; non autem Photinus, sed neque Arius; sed Photinus purum hominem, Arius autem quasi commixtum ex quadam excellentissima creatura divina, & humana. Hi aliam esse personam patris, & filii confitentur, quod Sabellius negat. Fi-

des

des ergo catholica media via incedens confitetur cum Ario, & Photino contra Sabellium, aliam personam patris, & filii, & filium genitum, patrem vero omnino ingentum; cum Sabellio vero contra Photinum, & Arium, Christum verum, & naturalem Deum, & ejusdem naturæ cum patre, licet non ejusdem personæ. Ex quo etiam judicium veritatis catholice sumi potest: nam vero, ut Philosophus dicit, etiam falsa testantur; falsa vero non solum à veris, sed etiam ab invicem distant.

#### CAPUT VIII.

*Solutio ad auctoritates quas Arius pro se inducebat.*

Quia vero veritas veritati contraria esse non potest, manifestum est ea quæ ex Scripturis veritatis ab Arianis introducta sunt ad suum errorem confirmandum, eorum sententiæ accommodata non esse. Cum enim ex Scripturis divinis ostensum sit patris, & filii eandem numero essentiam esse, & naturam divinam, secundum quam uterque verus dicitur Deus; oportet patrem, & filium non duos deos, sed unum Deum esse. Si enim plures dii essent, oporteret per consequens Divinitatis essentiam in utroque partem esse, sicut in duobus hominibus est alia & alia humanitas numero; & præcipue cum non sit aliud divina natura, & aliud ipse Deus, ut supra ostensum est: ex quo de necessitate consequitur quod existente una natura divina in patre, & filio, sint pater, & filius unus Deus. Licet ergo & patrem confiteamur Deum, & filium Deum, non tamen recedimus à sententiâ qua ponitur unus solus Deus, quam in primo, & rationibus, & auctoritatibus firmavimus: unde etsi sit unus solus verus Deus, tamen hoc & de patre, & de filio prædicari confitemur.

Cum ergo Dominus ad Patrem loquens dicit Joan. xvii. 3. *Ut cognoscant te solum Deum verum*: non sic intelligendum est, quod solus pater sit verus Deus, quasi filius non sit verus Deus (quod tamen manifeste Scripturæ testimonio probatur) sed quod illa quæ est una sola vera Deitas, patri conveniat, ita tamen quod non excludatur inde & filius. Unde signanter non dicit Dominus: *Ut cognoscant te solum verum Deum*, quasi solus ipse sit Deus; sed dixit: *Ut cognoscant te, & addidit solum Deum verum*, ut ostenderet patrem, cujus se filium protestabatur, esse Deum in quo invenitur illa quæ sola est vera Divinitas. Et quia oportet verum filium ejusdem naturæ esse cum patre, magis sequitur quod illa quæ sola est vera Divinitas, filio conveniat, quam ab ea filius excludatur. Unde & Joannes in fine I. suæ Canonice c. v. 20. quasi hæc verba Domini exponens, utrumque istorum vero filio attribuit, quæ hic Dominus dicit de patre, scilicet quod sit verus Deus, & quod in eo sit vita æterna, dicens: *Ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio ejus: hic est verus Deus, & vita æterna.* Si tamen confessus esset filius quod solus pater esset verus Deus, non propter hoc à vera Divinitate filius excludi intelligendus esset: nam quia pater, & filius sunt unus Deus, ut ostensum est; quicquid ratione Divinitatis de patre dicitur, idem est ac si de filio diceretur, & è converso. Non enim propter hoc quod Dominus dicit Mathæi xi. 27. *Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius*: intelligitur vel pater à sui cognitione excludi, vel filius.

Ex quo etiam patet quod vera filii Divinitas non excluditur ex verbis Apostoli, I. Tim. vi. 15. quibus dicit: *Quem suis temporibus ostendet beatus, & so-*

lus potens, Rex regum, & Dominus dominantium. Non enim in his verbis pater nominatur, sed id quod est commune patri, & filio. Nam quod & filius sit Rex regum, & Dominus dominantium, manifeste ostenditur Apocal. xix. 13. ubi dicitur: *Vestitus erat veste aspersa sanguine: & vocabatur nomen ejus, Verbum Dei*: & postea subditur: *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Nec ab hoc quod subditur: *Qui solus habet immortalitatem*, excluditur filius: cum & sibi credentibus immortalitatem conferat: unde dicitur Joannis xi. 26. *Qui credit in me, non morietur in æternum.* Sed & hoc quod subditur: *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*: certum est filio convenire; cum Dominus dicat Mathæi xi. 27. *Nemo novit filium nisi pater.* Cui non obstat quod visibilis apparuit: hoc enim secundum carnem est factum; est autem invisibilis secundum Deitatem, sicut & pater: unde Apostolus in eadem epistola, I. Tim. iii. 16. dicit: *Manifeste Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Nec cogit quod hæc de solo patre dicta intelligamus, quia dicitur quasi oporteat alium esse ostendentem, & alium ostensum: nam & filius se ipsum ostendit: dicit enim ipse Joan. xiv. 21. *Qui diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*: unde & ei dicimus Psalm. lxxix. 20. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.*

Quod autem Dominus dicit, Joan. xiv. 28. *Pater major me est*, qualiter sit intelligendum, Apostolus docet. Cum enim majus referatur ad minus, oportet intelligi hoc dici de filio secundum quod est minoratus. Ostendit autem Apostolus eum esse minoratum secundum assumptionem formæ servilis, ita tamen quod Deo patri æqualis existat secundum formam divinam: dicit enim ad Philipp. ii. 6. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Nec est mirum, si ex hoc pater eo major dicatur, cum etiam ab Angelis eum minoratum Apostolus dicat Heb. ii. 9. *Eum; inquit, qui medico ab Angelis minoratus est, vidimus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.*

Ex quo etiam patet quod secundum eandem rationem dicitur filius esse patri subjectus, scilicet secundum humanam naturam: quod ex ipsa circumstantia literæ apparet: præmiserat enim Apostolus I. Cor. xv. 28. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*: & postea subjunxerat quod unusquisque resurget in suo ordine, primum Christus, deinde ii qui sunt Christi: & postea addit: (1) *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri.* Et ostenso quale sit hoc regnum, quia scilicet oportet ei omnia esse subjecta, consequenter subjungit: *Cum subjecta illi fuerint omnia, tunc ipse filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia.* Ipse ergo contextus literæ ostendit hoc de Christo debere intelligi secundum quod est homo: sic enim mortuus est, & resurrexit: nam secundum Divinitatem cum omnia faciat quæ facit pater, ut ostensum est, etiam ipse sibi subjecit omnia. Unde & Apostolus dicit ad Philipp. iii. 20. *Salvatores expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem qua possit sibi subicere omnia.*

Ex eo autem quod pater filio dare dicitur in Scripturis, ex quo per Scripturam sequitur ipsum recipere, non potest ostendi aliqua indigentia esse in ipso; sed

Nn 2

(1) Al. Deinde filius.